



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus IIII. vtrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit
composita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

substantia particularis: quia tamen venit in unionem cuiusdam completi, scilicet totius CHRISTI, prout est Deus & homo, non potest dici hypostasis vel suppositum. Sed illud completum ad quod concurrat, dicitur esse hypostasis vel suppositum.

e Ad tertium dicendum, quod in rebus creatis res aliqua singularis non ponitur in genere vel in specie ratione eius quod pertinet ad eius individuationem, sed ratione naturae, quae secundum formam determinatur: cum individuatione magis sit secundum materiam in rebus compositis. Sic ergo dicendum est quod Christus est in specie humana, ratione naturae assumptae, non ratione ipsius hypostasis.

COMMENTARIUS.

In articulo nulla indiget expositione, est enim idem re ipsa cum superiori, solum diversis vocibus & nominibus propositus ad confundendos quosdam haereticos, qui vel vocem propriam ignorant, vel errorem suum nominibus variis involucentes duas personas in Christo negaverunt, duo supposita, vel duas hypostasies admittentes, in quo pugnantia plane dicebant, quoniam utrumque illorum suppositorum, si duo essent, subsisteret in natura rationali, seu intellectuali, divina, scilicet & humana, unde duae personae essent, ut recte D. Thom. in sua prima ratione concludit, quia persona supra suppositum nihil addit, nisi quod in rationali natura subsistat. Et hoc modo contra hunc errorem procedunt omnia dicta articulo precedenti. Item testimonia & rationes, quae contra haereticos fiunt, qui duas personas in Christo posuerunt, ut D. Thomas bene argumentatur, praesertim in ratione tertia.

b Solum circa secundam rationem oportet notare vim eius consistere in hoc, si persona supponit propriam hypostasim humanae naturae, solumque dignitatem aliquam illi addit, necessario effici illam non posse esse substantialem dignitatem, sed accidentalem, & hoc modo sequitur ex illo errore hanc unionem solum esse factam secundum quandam dignitatem, nimirum extrinsecam & accidentalem, quod in Ephesino Concilio damnatum est. Quod ideo aduerto, quia si loquamur de vera personali dignitate, quae substantialis est & intrinseca, sic vere dici potest hanc unionem factam esse secundum quandam dignitatem, quia per illam eleuata est humana natura ad subsistendum in persona Verbi, subsistere autem in digniori persona ad perfectionem & dignitatem naturae humanae pertinet, ut articulo superiori ad secundum Diuus Thomas dixit.

c In argumento primo cum solutione attigit Diuus Thomas dubium, an Christus possit dici alius, & alius, vel aliud & aliud. Et idem tetigit infra quae. 17. articulo. ubi disputandum est tanquam in proprio loco.

d Secundum argumentum idem est cum argumento tertio articuli precedentis, & solutio in re eadem est, licet verba sint diuersa, in quibus immorari non oportet, quando res constat: constat autem humanitati Christi deesse propriam subsistentiam, seu personalitatem creatam, & ideo non esse personam, nec suppositum, nec primam substantiam completam, atque adeo nec substantiam indiuiduam, prout in definitione personae ponitur, cum dicitur: Persona est rationalis naturae indiuidua substantia. Et ita locutus est Diuus Thomas articulo precedenti ad tertium, utendo autem latius nomine substantiae, prout significat rem quamcumque ge-

Ephesi. Con-
ciliū,

A neris substantiae, etiam si in illo completa non sit, hoc modo dici potest humanitas Christi substantia particularis, & indiuidua, non tamen persona, quia non habet complementum substantiae. Et hoc modo locutus est D. Thom. in hoc solutione.

e In argumento tertio tractari posset quaestio, an Christus sit unioce homo cum aliis hominibus, sed haec supponit multa in sequentibus tractanda, & habet proprium locum infra quaestione 16.

ARTICVLVS III.

Virum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

B

D quartum sic proceditur. Videtur, quod persona Christi non sit composita. Persona enim Christi non est aliud quam persona vel hypostasis Verbi: ut ex dictis patet. Sed in Verbo non est aliud persona & natura, ut patet ex dictis in prima parte. Cum ergo natura Verbi sit simplex (ut in primo* ostensum est) impossibile est quod persona Christi sit composita.

2. Præterea. Omnis compositio videtur esse ex partibus: Sed diuina natura non potest habere rationem partis: quia omnis pars habet rationem imperfecti. Ergo impossibile est, quod persona Christi sit composita ex duabus naturis.

3. Præterea. Quod componitur ex aliquibus, videtur esse se homogeneum eis: sicut ex corporibus non componitur nisi corpus. Si ergo ex duabus naturis aliquid sit in Christo compositum, consequens erit, quod illud non erit persona, sed natura: & sic in Christo erit facta unio in natura: quod est contra prædicta.*

Sed contra est quod Damasc. dicit in tercio libro. In domo Iesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam.

b Respondeo dicendum, quod persona siue hypostasis Christi, dupliciter potest considerari. Vno modo secundum illud, quod est in se: & sic est omnino simplex sicut & natura Verbi. Alio modo secundum rationem personae vel hypostasis: ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, & secundum hoc, persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia & alia ratio subsistens, & sic dicitur persona composita, in quantum unum in duobus subsistit.

D Et per hoc patet responsio ad primum.

c Ad secundum dicendum, quod illa compositio personae ex naturis, non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri, sicut omne illud, in quo duo conueniunt, potest dici ex eis compositum.

d Ad tertium dicendum, quod non in omni compositione hoc verificatur, quod illud quod componitur, sit homogeneum componentibus, sed solum in partibus continui. Nam continuum non componitur nisi ex continuis: animal vero componitur ex anima & corpore, quorum neutrum est animal.

COMMENTARIUS.

E

In articulis precedentibus concludit Diuus Thomas terminum huius unionis esse personam, & ideo merito consequenter quaerit, an huiusmodi terminus sit persona simplex, vel composita.

b Respondet autem D. Thom. quaestioni sic propositae non satis clare, dicit enim, personam Verbi secundum se, non esse compositam, tamen secundum rationem personae, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, ut sic; esse personam compositam, quia

Quia in ea est alia, & alia ratio subsistendi. Ex quibus obfcuris verbis hæc clara responsio elicienda est. Quamuis Verbum diuinum secundum se simplex sit: nihilominus terminum resultantem per hanc vñionem, seu ipsum Verbum vt incarnatum quid compositum esse, seu personam compositam. Quomodo autem hoc ex verbis diui Thomæ eliciatur ex dicendis constabit.

Dubitat enim primo Caietanus circa diuisionem à Diuo Thoma propositam de persona Verbi secundum se, aut prout subsistente in aliqua natura, quia hæc membra non videtur opposita, quia etiam persona Verbi secundum se in aliqua natura subsistit, scilicet in diuinitate, ex quo fit falsum esse simpliciter dicere personam illam, vt subsistentem in aliqua natura compositam esse.

Dubitat secundo, quomodo in persona Verbi incarnata dicatur esse duplex ratio subsistendi, cum ratio subsistendi nihil aliud, quam subsistentia, vel personalitas, esse videatur, & in Christo tantum sit vnica subsistentia. In quibus dubiis explicandis prolixum habet commentarium: sed breuius & elarius possunt expediti. Dico ergo, personam secundum se appellari Verbum ipsum, vt persona diuina tantum est, & in propria natura tantum subsistit habens solum ea, quæ sibi intrinseca & connaturalia sunt, & hoc modo de fide certum est, personam Verbi simplicem esse: habet tamen vltius personam Verbi incarnatam, vt subsistat in natura aliena & extranea, sibi vnita, & ita iam non habet solum ea, quæ secundum se illi conueniunt, sed etiam aliquam aliam naturam, in qua subsistit, & hoc modo dici- tur considerari posse, vt subsistit in aliqua natura, id est, secundum absolutam rationem subsistendi in natura, quam de facto habet; quamque ratio hypothetice absolute & simpliciter admittit, seu quod idem est, secundum specialem habitudinem, vel vñionem, quam habet cum aliqua natura non propria, sed (vt ita dicam) aduentitia, & vt sic dicitur persona Verbi composita, quia vt sic, subsistit in duabus naturis, propria & extranea. Et ex hac explicatione sumitur aperte responsio quæstionis supra explicata, quia persona Verbi non est terminus huius vñionis secundum se, sed prout vnita extraneæ naturæ.

De duplici autem ratione subsistendi aliqui propter obiectionem factam negant hunc modum loquendi D. Thom. vt videre est in Carthusi. in 3. dist. 6. quæst. 8. Sed solum potest esse dissensio in vocatione, nam res clara est. Primum enim duplex Christi natura, potest dici duplex ratio subsistendi, non simpliciter, sed in tali specie. Itaque subsistentia est ratio subsistendi simpliciter sine addito, & hæc tantum est vnica in Christo, vt recte Diuus Thomas 4. contra Gent. cap. 49. vbi hoc sensu docet in Christo tantum esse vnā rationem subsistendi simpliciter & absolute: & traditur aperte in V. Synod. collat. 8. can. 7. Natura vero potest dici ratio subsistendi in tali specie humana, vel angelica, quia natura constituit personam, non formaliter in ratione personæ: sed in ratione indiuidui talis speciei, vel essentia, & sic duplex natura Christi potest dici duplex ratio subsistendi in esse personæ diuinæ & humanæ, seu in esse Dei & hominis. Et hoc sensu est facilis ratio Diui Thomæ, oportet tamen huiusmodi loquendi modo caute vti, & non sine sufficienti explicatione. Secundo, potest dici duplex ratio subsistendi ex parte ipsius personalitatis, & hoc modo vnica Christi subsistentia, quæ in se increata est, & diuina, dicitur esse duplex ratio subsistendi non secundum rem, sed secundum rationem, quia in quantum terminat naturam diuinam, est subsistentia diuina: in quantum vero terminat humanam, potest dici personalitas humana, vt loquuntur multi Theologi, Marfilii in 3. quæst. 6. art. 3. dub. 3. Caietan. artic. sequenti. Palac.

Fr. Suarez, Tom. I.

in 3. d. 6. qu. 1. & Sancti vocant personam Verbi, personam hominis, vel carnis, vt videre licet in Ambrosio epistola 40. Damasc. libr. 3. de fide cap. 11. libr. 4. cap. 5. Et quamuis hæc distinctio in ipsa subsistentia sit tantum rationis; quia tamen sumitur per ordinem ad duas naturas realiter distinctas in illa vnica subsistentia coniunctas, ideo ex hac duplici ratione subsistendi recte inulit Diuus Thomas, Verbi personam vt subsistentem vtrique naturæ esse compositam. Ex hac vero expositione, qua dicimus hanc duplicem rationem subsistendi tantum ratione distingui, colligunt aliqui rationem subsistendi in natura diuinā esse relationem realem, rationem vero subsistendi in humanā, duntaxat, relationem rationis. Quod non potest esse verum, quia relatio rationis non potest esse ratio subsistendi, quia subsistere vel simpliciter, vel in tali natura est realis effectus, ergo ratio subsistendi debet necessario esse ratio realis in rebus ipsis existens: relatio autem rationis in re nihil est. Ac præterea, quatenus per intellectum concipitur, vel fingitur, habet se, vt consequens ad humanitatem iam subsistentem in Verbo, seu ad Verbum vt subsistens in humanitate, ergo hæc etiam ratione non concipitur, vt ratio subsistendi, sed vt consequens illam. Denique aliud est distinguere rationem, aliud est esse relationem rationis, sepe enim extrema sunt realia, & distinctio est rationis, vt constat in attributis diuinis: sic ergo quamuis ipsamet personalis ac realis subsistentia Verbi ratione distinguatur à nobis, prout terminat humanitatem, vel diuinitatem: tamen ipsa vt realis subsistentia est, est ratio subsistendi vtrique naturæ. Quamquam in bono sensu dici possit, personalitati Verbi, vt est personalitas humanā, non addi præter realem relationem filiationis Verbi, nisi relationem rationis, seu vñionis Verbi ad humanitatem.

b Argumentum primum facillimum est, secundum vero difficile, & solutio Diui Thomæ obscura. Argumentum est. Omnis compositio est ex partibus, sed diuina natura non potest esse pars, ergo non potest in compositionem venire. Respondet hanc compositionem personæ ex naturis non esse ratione partium, sed ratione numeri. Vnde in forma intendit negare maiorem, & docere compositionem per se ac necessario non requirere partes, sed solum, vt multæ res ad vñum constituendum conueniant. Et hoc est quod dicit *ratione numeri*: quia omne illud, inquit, in quo duo conueniunt, potest dici ex eis compositum; siue illa conueniant per modum partium siue alia ratione. Circa quam responsionem considerandum est, aliquos non dubitare, nomine partium in hac compositione vti Iustinian. Imper. in Edicto fidei sue in principio, Cum compositionem partes, (inquit) dicamus, necesse est & partes in tota esse consistere, & totum in partibus cognosci. Et Nicetas in orationem 42. Nazianzeni, quæ est 2. in Pascha. 8. Proinde agnus, &c. diuinitatem vocat partem, quæ humanitas vnica est. Melius tamen Diuus Thomas negauit, hanc compositionem esse ex partibus. Potestque amplius explicari, quia etiam apud Philosophos, non quidquid componit, est pars, linea enim suo modo componit superficiem simul cum aliis partibus quamuis illa non sit pars. Et substantia cum natura componit personam, quamuis non sit pars, sed modus vel terminus naturæ. Sic ergo in proposito, nec diuinitas, nec Verbum potest dici pars Christi, quia nomē partis ex vi suæ significationis dici quid incompletum & imperfectius toto, & dependens aliquo modo ab alia parte. Vnde Augustinus libr. 3. contra Maximin. capit. 10. Christus, ait, vna persona est gemina substantia, nec tamen Deus pars huius persone dici potest, aliqui filius Dei antequam acciperet formam serui, non erat totum. Dices. Hoc compositum, Christus est quoddam totum, ergo constat ex partibus Item, humana natura est vna pars eius, ergo diuinitas erit altera. Re-

Q 2

spou-

Relatio rationis non potest esse ratio subsistendi.

Responsio

Compositio non necessitate requiritur partes.

Augusti

Obiectio

Responsio.

Spondetur, totum vno modo sumi, ut dicit relatio. A
nem ad partes, & sic Christus, ut constans ex huma-
nitate & diuinitate non est aliquid totum, quamuis
ut homo possit dici totum, in quantum constat ex
partibus essentialibus, vel integralibus humanitatis.
Alio modo dicitur totum, id est, quid completum,
& perfectum, quo modo Damascen. lib. 3. de fide ca.
7. inter totum & perfectum non distinguit, & sic
Christus est quoddam totum perfectum sine rela-
tione ad partes, neque humanitas potest proprie di-
cipari, sed est vna integra natura huius compositi,
altera vero est diuinitas: & utraque appellari potest
vere componens Christum, ut Patres loquuntur, &
infra explicabo, nam componens latius patet, quam
pars, & non includit eas imperfectiones, quas no-
men partis indicat, ut declaratum est, & latius in di-
sputatione dicetur.

Obiectio.

d Tercium argumentum D. Thom. est, omne co-
positum est homogeneum ex componentibus, sed in
Christo duae naturae componunt, ergo compositum
erit aliqua natura, non persona. Respondet negan-
do maiorem, homo enim componitur ex anima &
corpore, & tamen neque est anima, neque corpus.
Sed potest vrgeri argumentum, quia saltem ex na-
turis non videtur posse componi nisi natura, quia
naturae, ut sic, nihil dicunt quod pertineat ad con-
stitutionem personae, sed hic naturae sunt, quae com-
ponunt, ergo. Hoc argumentum propono ad expli-
candam amplius illam minorem, & hanc compo-
sitionem. Aduertendum est enim proximè ac for-
maliter non esse factam compositionem hanc ex v-
na natura cum alia: sed ex subsistentia Verbi cum
humana natura, ut latius in disputationibus dice-
mus: quia vero ipsa subsistentia Verbi intimè ac sim-
plicissime in se includit naturam diuinam, conse-
quenter factum est, ut illae duae naturae manserint
coniunctae in illa subsistentia, & e contrario ut per-
sona Verbi ex duabus naturis composita permanse-
rit. Hinc ergo ad argumentum respondetur distin-
guendo maiorem, quando enim duae naturae inter
se, & vna cum alia proximè vniuntur ad quidpiam
constituendum: tunc verum est proximè ac forma-
liter ex eis componi naturam, ut patet in compo-
sitione humanitatis ex anima & corpore: hoc autem
modo nunquam vniuntur perfectae naturae, & ided
Christus non hoc modo componitur ex duabus natu-
ris: sed verò quando duae naturae vniuntur in vna
subsistentia, tunc non est necesse, ut ex eis resultet v-
na natura, sed vna persona. Sed potest quis retor-
quere argumentum: quia quando compositio non
est ex homogeneis, nunquam terminus compositio-
nis est eiusdem rationis cum altero componendum,
ut patet in dicto exemplo de humanitate compo-
sita ex corpore & anima, & idem est in omnibus simi-
libus, sed in hac compositione proxima componen-
tia sunt persona Verbi, & natura humana, quae non
sunt homogeneae, ut constat, ergo, terminus resul-
tans non erit persona. Respondetur negando maio-
rem, & falsa ostenditur in compositione ex linea, &
punctis, & similibus. Solum ergo sequitur personam
non eodem modo venire in compositionem, & re-
sultare ex compositione: componit enim ut simplex,
& subsistens in sola natura diuina; resultat autem
composita, & in duplici natura subsistens.

Responsio.

Perfecta na-
tura nun-
quam vni-
tur ad con-
stitutionem
alterius.

ARTICVLVS V.

*Virum sit facta aliqua vnio anime & corporis in
Christo.*

II.
Inf. q. 16. ar.
1. c. Et 3. d. 6.
q. 3. a. 1. Et 4.
cont. 37. c.



D quantum sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non fuerit vnio anime & corporis. Ex
vnione enim anime & corporis in nobis cau-
satur persona vel hypostasis hominis. Si ergo a-

nima & corpus fuerunt in Christo vnita, sequitur quod fue-
rit ex vnione eorum aliqua hypostasis constituta; non autem
hypostasis Verbi Dei, quae est aeterna. Ergo in Christo erit ali-
qua persona vel hypostasis prater hypostasim Verbi: quod est
contrapredicatum.

2. Praterea, ex vnione anime & corporis constituitur na-
tura humana speciei. Damascenus autem dicit in 3. lib. 4.
quod in Domino Iesu Christo non est communem speciem ac-
cipere. Ergo in eo non est facta anima & corporis vnio.
3. Praterea, anima non coniungitur corpori, nisi ut viu-
ficet ipsum: sed corpus Christi poterat viuificari ab ipso Ver-
bo Dei, quod est fons & principium vitae: Ergo in Christo non
fuit vnio anime & corporis.

Sed contra est, quod corpus non dicitur animatum nisi ex
vnione anime: Sed corpus Christi dicitur animatum: secun-
dum illud quod Ecclesia * cantat, Animatum corpus sumens,
de Virgine na * ci dignatus est. Ergo in Christo fuit vnio anime
& corporis.

Respondet dicendum quod Christus dicitur homo vniuocè
cum aliis hominibus, ut potè eiusdem speciei existens: secun-
dum illud Apostoli Philip. 2. In similitudinem hominum fa-
ctus. Pertinet autem ad rationem speciei humanae, quod ani-
ma corpori vniatur, non enim forma constituit speciem, nisi
per hoc quod sit actus materiae, & hoc est, ad quod generatio
terminatur, per quam natura speciem intendit. Vnde necesse
est dicere, quod in Christo fuerit anima co poris vnita, & con-
trarium est hereticum: ut pote derogans veritati humanitatis
Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione moti vi-
dentur illi, qui negauerunt vnionem anime & corporis in
Christo: ne per hoc scilicet cogerentur personam nouam, vel
hypostasim in Christo inducere: quia videbant, quod in puris
hominibus ex vnione anime ad corpus constituitur persona.
Sed hoc ideo in puris hominibus accidit: quia anima & cor-
pus sic in eis coniunguntur, ut per se existant. Sed in Christo
vniuntur ad inuicem, ut adiuncta alteri principali, quod
subsistit in natura ex eis composita: & propter hoc ex v-
nitione anime, & corporis in Christo non constituitur noua
hypostasis, seu persona, sed aduenit ipsum coniunctum per-
sonae, seu hypostasi praexistenti. Nec propter hoc sequi-
tur, quod sit minoris efficacia vnio anime & corporis
in Christo, quam in nobis: quia ipsa coniunctio ad no-
bilius non adimit virtutem, aut dignitatem, sed au-
get: sicut anima sensitiua in animalibus constituit spe-
ciem, quia consideratur ut vltima forma, non autem
in hominibus, quamuis in nobis sit virtuosior & nobilior:
& hoc propter adiunctionem vltioris & nobilioris per-
fectionis, scilicet anime rationalis, ut etiam supra dictum
est.

Ad secundum dicendum, quod verbum Damasc. 4. po-
test intelligi dupliciter. Vno modo, ut referatur ad huma-
nam naturam: quae quidem non habet rationem communis
speciei, secundum quod est in vno solo individuo: sed secun-
dum quod est abstracta ab omni individuo, prout in nuda
contemplatione consideratur: vel secundum quod est in om-
nibus indiuiduis. Filius autem Dei non assumpsit humanam
naturam, prout est in sola consideratione intellectus, quia
sic non assumpsisset ipsam rem humana natura: nisi forte di-
ceretur, quod humana natura est quaedam idea separata: sic
ut Platonici * posuerunt hominem sine materia: sed tunc si-

lus Dei non assumpsisset carnem: contra illud quod dicitur Arist. 1. me-
tica 6. & 15. per multos
centur.
Relinquitur ergo, ut Damascen. * postea dicit in eodem libro,
quod assumpsit naturam humanam in atomo, id est, in in-
diuiduo: non quidem in alio indiuiduo, quod sit suppositum, vel
hyposta-

Art. 2. huius
q. ad 2. Citi-
um in arg.

ut patet in
lib. 3. c. 114